

143

fam aperte tradit Cicero Philip. 13. 8.: *lautissimum*, inquit, *oppidum*, nunc *Municipium*, *honestissimorum* quondam *Colonorum*, *Suessam*, *fortissimorum* militum sanguine implevit. Prænetinos Gellius lib. XVI. Cap. 13. tradit *maximo opere* a Tiberio Imperatore petiisse orasseque, ut ex *Coloniâ* in *Municipii* statum redigerentur, idque illis Tiberium pro referendâ gratiâ tribuisse, quod in eorum finibus sub ipso oppido ex capitali morbo revaluisset. V. Spanhem. Orb. Rom. Exerc. I. Cap. 16. Fontanin. de Ant. Hort. lib. I. Cap. V. n. I. Abusive, quando absque ullâ conditionis mutatione, *Coloniæ*, earumque Cives, *Municipia*, & *Municipes* appellabantur. Ulpianus in l. 1. ff. ad *Municipal*. Sed nunc abusive *Municipes* dicimus *sue* cuiusque *Civitatis* Cives, ut puta, *Campanos*, *Puteolanos*, *Coloniæ* nempe *utriusque* incolas. Gellius loco citat. *Quotus enim nostrum est, qui, quum ex Coloniâ P. R. sit, non se & Municipem esse, & populares suos Municipes esse dicat, quod est a ratione, & a veritate longe aversum.* Vid. Velfer. Rer. Aug. Vind. lib. V. in f. Fabrett. Inscr. Dom. Cap. VI. pag. 464. Fontanin. loco cit. Hinc in antiquis Inscriptionibus eandem Urbem modo *Coloniâ*, modo *Municipium* dici videmus. De Bovillis animadvertit Fabrettus loco laud. De Ortona in Aprutio Fontaninus loco item laud. His addendæ *Suessâ*, *Coloniâ* in Gruter. p. CCCCLXXXV. 3. MXCIII. 8. *Municipium* in CLI. 3. Celeja *Coloniâ* p. CCCLXXXVI. 3. CCCCLXXXII. 7. DLVI. 7. *Municipium* p. CXV. 5. DCI. 6. Hispellum, *Coloniâ* p. CCCLI. 1. *Municipium* apud Reines. Cl. I. 297., quæ iterum occurrit in Don. Cl. I. 138. *Casinum*, *Coloniâ* apud Don. Cl. V. 14. *Municipium* in Grut. p. CCCLI. 1. quæ rursus habetur in Don. Cl. V. 15. Plures alias brevitati consulens, omitto. His positis haudquaquam facile erit definire utrumne proprie, an abusive *Pisaurum* in Inscriptione nostra *Municipium* dicatur. Mihi quidem sane videtur *Pisaurum* proprie *Municipium* appellatum, quia nempe ex *Coloniâ* aliquando in *Municipii* statum redactum fuerit, idque duas potissimum ob causas. Primum quidem, quia licet *Coloni* *Municipes* dicerentur, & *Coloniæ* *Municipia*, hujus tamen vocis abusus vix irreperere potuisse videtur in publica Monumenta, quæ haud oscitanter, sed mature, & serio veteres inscripserunt. Deinde vero, ut in illa etiam irrepperit, nequaquam credibile est irreperisse jam inde ab extremis Reipublicæ, vel primis Imperii temporibus, ad quæ Inscriptionem nostram per-